7.

CONCIO

AD

CLERUM

LONDINENSEM,

HABITA IN

Ecclesia Parochiali S. ALPHEGI,

Mensis Maij vij: *A. D.* MDCC XXIII.

A RI. RODERICK, S. T. P.

Collegij *Sionensis* Præside, & Rect. Sancti *Michaelis Bassishaw, London.*

LONDINI:

Impensis C. RIVINGTON ad Insigne Bibliorum & Coronæ in Cœmeterio D. Pauli.

A. D. MDCC XXIII.

CONCIO

AD

CLERUM

LONDINENSEM,

HABITA IN

BRITISH MUSEUM

Capite xiii. Divi Marci, Commate 13. ſic ſcriptum legimus,

——— Ὁ δὲ ὑπομείνας εἰς τέλος, οὗτος σωθήσεται.

---- *Qui autem ſuſtinuerit in finem, hic ſalvus erit.*

QUONAM Eccleſiæ fato fieri dicam, ut nemo his ducentis ferè annis Evangelicæ Veritati apud Anglos Hoſtis fuerit, qui non eodem tempore Matri noſtræ venerandæ, & orthodoxis illius Miniſtris Bellum indixerit?

Schiſmatici & Hæretici, manibus pedibuſq; obnixè omnia fecerunt, & etiamnum faciunt, ut Apoſtolicam Religionem cum incorruptis Profeſſoribus funditùs evertant, & ſuam nobis obtrudant, novam licet atq; informem.

Ita prædixit in contextu Salvator noſter beatiſſimus. Ita evenit, ut qui priſtinam fidem non ſimulatè amplectimur, odio ſimus propter nomen

ejus. *Qui autem ſuſtinuerit in finem, hic ſalvus erit.*

Sic ab hiſce verbis diſſeram:

I. Hæc Promiſſio ſalutis facta eſt, & perſoluta conſtantis animi Chriſtianis antè excidium Hieroſolymitanum.

II. Juſtus & Miſericors Deus per omnes retrò Ætates aſſuevit conſtantes, & propoſiti tenaces viros tutari, dum perierunt improbi, & qui à veritate deſciverunt.

III. Quibus præcipuè modis Providentia Divina conſtantes, & propoſiti tenaces tutatur, quantumcunq; jacentes & afflictos.

IV. Non hominum viribus, aut ſapientiâ, aut favore, ſed ſolius Dei præſidio nitamur ad ſalutem in rebus adverſis conſequendam.

I. Hæc Promiſſio ſalutis facta eſt, & perſoluta conſtantis animi Chriſtianis antè excidium Hieroſolymitanum.

Salus accommodari poteſt ad felicitatem quam ampliſſimam & æternam in Cœlis altiſſimis; ſed *hic* intelligitur de temporali incolumitate quam *ſingularis Chriſti* benevolentia Evangelij *pollicita eſt* primævis profeſſoribus.

Poſt glorioſum illius aſcenſum infans Eccleſia, quanquam *confirmata ſignis, & portentis, & variis*

riis virtutibus, & Spiritus Sancti distributionibus, quanquam munita comitatu & præsidio doctrinarum quas etiam Ethnici venerabantur, tamen Calumniis & insatiabili Crudelitate Inimicorum ubicunq; vexata fuit atq; lacerata.

Videbatur deseri à Domino suo, & secum cogitare ac sentire, prout ipse in Cruce pendens exclamasset, *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti?*

Discipuli ejus *egentes, angustiati, afflicti*, nec spem liberationis, nec solatium exitij foris habuerunt.

Temporibus illis justo intrinsecus metu, perpetuis extrinsecus miseriis obsessos docebant Gnostici, & excitabant *Deum negare qui emit eos*, Christianæ Religioni non adhæresce re, aspernari potius ac rejicere, ubi tradidit præcepta nequitiis, cupiditatibus, incolumitati, vel commodis adversa.

Hinc Christus, ut detraheret istam opinionem mærentibus, ut à Societate & Contagione *mendacium Magistrorum* sevocaret suos, animo prospiciens quæcunq; essent futura, ab impendentibus periculis præmonuit & consolabatur. Promisit atq; confirmavit se integros vitæ sceleriſq; puros in maximis calamitatibus salvos custoditurum fore, si *perseveraverint in finem*, hoc est, in finem status Judaici, quem prævidit propediem esse venturum.

Antè

Antè ipſius conſummationem Iſraelitæ flagitiis ad extremum contaminati fuerunt, Chriſtiani uſquequaq; oppreſſi & ſpoliati. Ut illi improbitatem coercerent, Evangelium ubiq; prædicatum eſt, ſed fruſtrà, per totam Judæam; ut hi non *ſaluti deſperarent*, Filius Unigenitus Dei infallibile Perfugium ac Solatium præbuit. Malorum propè adventantium prædictio utroſq; monuit Omnipotentis *Vindictam* ſceleratis, *Tutelam* piis, deeſſe non poſſe. Iniquitatum ultor dùm punivit, miſericordiæ memor fuit, & decrevit obſequentes ab exitio defendere. Quanquam in decurſu hujus vitæ frequenter *univerſa æquè eveniunt juſtis ac impiis*, tamen in illis Eccleſiæ Primordiis non rarò diſcriminatim conſtituit Providentia Divina Chriſtianos mirandum in modum ſervare, & Judæos jam rejectos atrociter punire.

Quando appropinquavit tempus ut *inciperet Judicium à domo Dei*, omnia calamitatum genera liberâ proruperunt portâ, & cuivis incolumitati præcluſa videbatur via. Qui nomina Meſſiæ dederant, graviter puniti ſunt, maximoperè afflicti, & tantum non funditùs obruti.

Diffidentes, omni ſpe orbati, ab infeſtiſſimis hoſtibus in Hieroſolymâ vexati, & ampliſſimis Romanorum Agminibus circumſeſſi, in maximas anguſtias adducebantur.

Sed

Sed de improviſo, qui Strategus fuit, Gallus ſuâ ſponte, vel potius Cœli impulſu, ſtativa movit caſtra, & repente abiit, evaſit, erupit.

Per id tempus opportunè, ut olim moniti à Salvatore, Diſcipuli *qui erant in Judæa, fugerunt in montes.* Oraculo perſuaſi, ut refert Joſephus, omnes tranſvolabant ad Pellam, firmum ereptis perfugium.

Quùm iſti Cuſtodes Civitatis ſalvi eſſent *quaſi torris raptus ab Incendio*, Via facta eſt Indignationi Divinæ. Romanum Titus reportavit exercitum, obſedit, oppugnavit, & ex toto labefactavit *urbem* pulcherrimam, florentiſſimam, potentiſſimamque; & Turnus Rufus vomere perſtrinxit ac penitùs evertit *Templum*, quod adamantinis videbatur radicibus eſſe fundatum.

Anteà Equites in Aere, & alia phantaſmata propè accedentes ſignificaverant miſerias, quando Antiochus Epiphanes Hieroſolymam exſpoliaturus erat.

Nunc ultimi illius excidij indicium dederunt Gemitus ac Suſpiria quaquaverſum in *Civitate*, & in *Templo* frequenter audita Vox, ut vulgò creditur, Angelorum μεταβαίνωμεν ἐντεῦθεν.

Sed incolarum, & peregrinorum illuc confluentium aures noluerunt monitis patere. Stupida fuit animi durities. *Miſit illis Deus operationem erroris ut crederent mendacio*, ut fidem darent Pſeudoprophetæ, qui pollicebatur vacuos periculo

culo fore ac tutos quotquot vellent in Templum perfugere, ubi ſex millia ſummo flammarum cruciatu perierunt.

Nec tamen adhuc ſiſti poterat, vel minui pertinax contumacia. Afflatu divino, ut putabatur, moti, ſeu potius phanatico furore abrepti, & mente alienati confidenter decreverunt Deum ipſis acerrimum eſſe Defenſorem, ac per Simonem cum exercitu in deſerto opem & ſalutem miſeris laturum, vel per Johannem cum factioſis Sectatoribus intra Urbem impetum inimicorum ſine dubio propulſaturum eſſe.

Hinc clementiſſimi principis oblatam reſpuere gratiam, & *tardam* accendere iracundiam perſtiterunt, donec tandem temerarij impotenter ſibi accerſiverint ſtragem horribilem, cruces in locis non occupatis, ſi qui eſſent, atq; omnimoda tormenta, quibus hoſtes ferociſſimi obcæcatos & infatuatos necarunt.

Intereà Chriſtiani ad unum omnes ſarti tecti conſervabantur.

II. Juſtus & miſericors Deus per omnes retrò Ætates aſſuevit conſtantes, & propoſiti tenaces Viros tutari, dùm perierunt improbi, & qui à veritate deſciverunt.

Quamdiu Judæi rerum potiti ſunt, ignorantiam & imbecillitatem, in quibus obſcuri ſine &

cæcâ

cæcâ expectatione pendebant, benignè reſpexit & toleravit Deus; ac (dùm tempus ad eam rem tulit) ſivit ut animum explerent ſuum.

Poſt prædicationem Evangelij aliam vitam, alios mores poſtulavit, ut à Lege Moſaicâ ſe removerent, ut in Meſſiam, Deum à Deo, crederent, & Religionem ab ipſo fundatam ſtrenuè amplecterentur.

Illis utcunq; ac Gentilibus quibus poſteà ſalus eſt oblata, *palam & apertè annunciatum eſt, tribulationes manere agentes in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.*

Sed ſimul utriq; ſunt admoniti, quod *novit Dominus pios ſui cultores ex anguſtiis & miſeriis* quibus illi *probantur*, alij *involvuntur*, ubi commodum fuerit, gratuitò *liberare.*

Poterant meminiſſe quod ſcelerum vindex, ſuperioribus ſeculis, dùm atrociſſimè punivit, cum animo ſtatutum habuit ſibi addictos è communi ruinâ eximere.

Quando Imbribus de cœlo ad inferiores duas aeris regiones largiter effuſis, & magno aquarum ſubterranearum cumulo auctis, periit mundus, ac univerſum propè hominum & pecudum genus ſubmergebatur, tamen Noah, *Præco Juſticiæ*, ad quam hortatus eſt monitis, exemplo, & continuâ extructione arcæ per centum viginti annos, *gratiam invenit coram Domino*; atq; ex diluvio ereptus fuit cum totâ familiâ.

Quando Sodoma, Gomorra, & finitimæ civitates cœleſti igne ac ſulphure flagrarunt, & fervidæ vel Abrahami preces non poterant excidium avertere, Lotus vir *perfectus in generationibus ſuis*, & illius gratiâ quot vellent ſervari, miniſterio Angelorum ab immani incendio liberati ſunt.

Quùm Jacobo jam ſeneſcente in Terrâ Cananæâ cœpit Fames ingraveſcere, Joſephus, *non Fratrum conſilio, ſed Dei Voluntate miſſus in Ægyptum*, per varios Caſus, per tot Diſcrimina Rerum evectus eſt in Præſidem totius Regni, ut ſacrum Abrahami Semen ſalvaret ab Interitu in jucundâ & fertili Terrâ Goſhen, dilecto Populo reſervatâ.

Temporis Decurſu permiſit Deus Peculium ſuum ſpoliari & magnopere affligi. Singulari tamen illius Benignitate, quo *plus oppreſſi, plus multiplicabantur & creſcebant*. Graviſſimis Oneribus *elati* ex Invidiâ & Odio Inimicorum, eò magis ac magis creſcebant.

Clamaverunt ad Dominum cùm tribularentur, & de Neceſſitatibus eorum liberavit eos. Vincula eorum perrupit per Moſem, ac infandis ab ipſo illatis Calamitatibus Ægyptios coegit Hoſpites benedictos tandem *ejicere in Fortitudine magnâ, & in Manu robuſta.*

Iſraelitæ *egreſſi de Domo Servitutis* Divinâ Providentiâ ſtipati progrediebantur, per rubrum

Mare

Mare jam ſiccum, ſepti Fluctibus quaſi Muro ahenco, tutò progrediebantur in adverſa Littora. Per Diem in Columnâ Nubis, & per Noctem in Columnâ Ignis iter direxerat Deus ad Undas, quæ, Profugis hiſce ſemel trajectis, *reverſæ ſunt atq; operuerunt omnem Equitatum & Currus Pharaonis & univerſum ejus Exercitum.* Nova tunc Diluvies aufugientium quietos irritavit Fluctus, ut Dei Gloria, & Iſraelitarum Salus, & Ægyptiorum Ruina longè latéq; innoteſcerent.

Quid adhuc dicam de longâ Peregrinatione in Deſerto, ubi Exules mirabiliter fovit ac nutrivit Deus, Panem dedit è Cœlo, *Coturnices trans Mare*, & Aquam è Petrâ; ubi *miſit Angelum qui præcederet eos, & cuſtodiret in Viâ, & introduceret in Locum quem præparavit?*

Illius Patrocinio fultus Moſes Amalekitas Prælio devicit; Canaanitas apud Hormah, Amorreorum Reges Sehon & Og, & quinq; reges Midianitarum in totum excidit.

Quùm quadraginta duobus in Deſerto Itineribus Caſtra poſuerat, omnia in tuto locata, ac ſibi commendatos Signis, & Miraculis circumegerat, ſuſtentaverat, defenderat, atq; Legiſlatoris, Prophetæ, & Ducis Muneribus ſapientiſſimè perfunctus eſſet, beatâ Morte donatus eſt, optimæ Vitæ, & Laborum ampliſſimâ Mercede.

Veruntamen Præſidium Stabilitatis ſuæ non amiſerunt Iſraelitæ. In Locum illius ſucceſſit

Joſhua heroicis Virtutibus, & Divinâ Gratiâ ſummopere munitus.

Dominus factus eſt ipſi in Salutem, ut prius Moſi. Juſſu ejus *ſtetit unda fluens, & congregatæ ſunt Abyſſi in medio Jordanis*, ut Viam patefacerent in Terram promiſſam. *Per arentem Alveum Populus tranſibat.* Patriis Ritibus primùm obſervatis ſe accinxit ad *Victoriam* Dux fortiſſimus. Muris Jericho Buccinarum Clangore dirutis potentiſſimam Civitatem expugnavit, illam & Urbem Hay radicitùs delevit, ac triginta *Reges cum Exercitibus ſuis uno Impetu cepit atq; vaſtavit. Dominus enim Deus Iſrael pugnavit pro eo.*

Tempus me deficiet enarrantem ſingulatim de plurimis Hoſtibus, quos prodigiosè diſperdidit & extinxit.

Quo mortuo, & *Senioribus qui longo poſt eum vixerunt Tempore*, tandem Iſraelitæ ſervierunt Baalim & Aſhtaroth cæteriſq; Ethnicorum Diis; & Iracundiâ exardens Dominus duriſſimo Captivitatis Jugo vehementer afflixit.

Sed *afflictorum Gemitus* miſericors *audivit*, ac *Judices ſuſcitavit, qui liberarent eos de vaſtantium Manibus.* Othniel, Ehud, Shamgar, Deborah, Gideon, Tola, Jair, Jephtha, Ibzan, Elon, Abdon, Samſon, Eli, Samuel ſeorſùm vindicarunt maximè oppreſſos à Syris, Moabitis, Ammonitis, Cananæis, Philiſtæis, cum multis aliis.

Cùm

Cùm Samuel jam provectus eſſet Ætate, indulgens Deus, ut Populo Iſraelitico gratificaretur, Regem ſubſtituit, in Præſidium obſequentibus, in Pœnam contumacibus & nefariis.

Regia Sauli Authoritas brevi corroborata eſt Victoriâ ab Ammonitis reportatâ.

Filius Jonathanus, unico Commilitone ſtipatus contrà immenſum Philiſtæorum Agmen venit, vidit, vicit.

Succeſſor Davides, mirabili Audaciâ & Fide armatus, interfecit Athletam eorum Goliam Scutis Teliſq; paratum. *In Nomine Domini Exercituum Funda & Lapide percuſſit maledicentem Deo*, & Iſraelitis in Tutelam ejus aſſumptis.

Cùm placidè Regni potitus eſſet, non Vi, non Ambitu, non Dolo malo, non factioſorum Artificiis atq; Solertiâ, ſed Divini Numinis ductu, ejuſdem Auſpiciis feliciter ſubegit Hadadezer Filium Rehob, Philiſtæos, Moabitas, Syros, Ammonitas, & Amalekitas. *Servavit Dominus Davidem ad quæcunq; profectus eſt.*

Quanquam Temporibus ſuccedentium Regum, quos non neceſſe eſt enumerare, Deus, utcunque miſericors, ad Iracundiam Flagitiis crebrò provocatus, graviter afflixit Populum hæreditarium, *in omnes Gentes* paſſim *diſperſit*, ac in Servitutem tradidit Aſſyriis, Babyloniis, aliiſque; tamen pœnitentibus, & Auxilium implorantibus Salutem ſemper dedit, & liberavit Periculis. In

Memo-

Memoriam *rejectæ Clementiæ* facinoroſos caſtigavit: Ad Gloriam *nativæ Benevolentiæ* ſempiternam conſtantes & Propoſiti tenaces tutatus eſt, & remuneravit.

III. Dicam quibus præcipuè Modis Providentiâ Divinâ conſtantes tutatur, quantumcunq; jacentes & afflictos.

Multi ſunt quos Natura vel Ratio cohibet à Voluptatibus, & Avaritiâ, & Luxurie, & Odio, & Irâ, & Ambitu omnium pernicioſiſſimo, qui tamen non moderatè perpetiuntur Ærumnas, & *Tribulationes ſuſtinent* fracto ac impotenti Animo.

Utcunq; demiſſi & oppreſſi ſtatim erigentur, ſi, quâ decet, Humilitate & Sanctimoniâ Mentes ad Cœlum attollant. Haud anxios reddet miſerrimæ Vitæ Tædium cum firmâ Expectatione non interrumpendi Favoris Divini.

Quippe conſuevit Dominus, ut libitum ſibi fuerit, Inimicorum Malitiam coercere, vel in Manſuetudinem convertere, vel ipſos de medio tollere, dum contrà Cultores non fucatos crudeliſſimè bacchantur.

Qui eſt *Deus Virtutum, dominatur Poteſtati Maris, & Motum fluctuum ejus mitigat*; qui jubet Ventos ceſſare, Procellas obmuteſcere, poteſt etiam

etiam ſine Labore ullo Rabiem Populi ferociſſimam reprimere.

Ne quid Detrimenti caperet Reſpublica Iſraelitica, Inimicitiam Balak Regis Moabitarum, & Avaritiam Arioli Balaami, utramq; inſatiabilem, refrænavit Deus, & *Maledictionem convertit in Benedictionem.*

Quando Davides in ſummas Anguſtias compulſus fuit apud Naioth in Ramah, multiplices Sicarij, & Saulus ipſe à propoſito ſuſceptoq; Conſilio declinarunt, & *hoſtilis* Furor in *Propheticum* converſus eſt.

Poſthæc in Deſerto Maon Davides intercluſus à Saulo, & propè captus obſidione liberabatur per Philiſtæos, qui in Terram Judæam opportunè invaſerunt.

Violentorum Impetus multifariam comprimuntur, & potentiſſimorum Conatus ſæpiſſime *conteruntur ſine Manu*, uti loquitur Daniel de Antiocho.

Ut Incolumitatem & Libertatem retinerent Iſraelitæ, *Circulum in Naribus, & Fræum in Labiis Sennacherib poſuit* Dominus Exercituum, ad cujus Nutum *Columnæ Mundi contremiſcunt.*

Pro Libitu regit & moderatur per Vicarios ſuæ Dominationis, qui *coram eo quaſi nihilum & inane reputantur.* Eminentiſſima in Terris Luminaria, ſicut illa in Cœlis, quanquam proprio Motu agitan-

agitantur in ſuis Sphæris, tamen ſummi Rectoris Arbitrio cientur atq; gubernantur.

Per omnia retrorſùm Secula Opem tulit & Salutem indigentibus, qui puram Religionem ſuſceperunt. Diabolus Moſaicam Religionem evertere *incaſſùm* conatus eſt, & contrà Chriſtianam nullatenus prævaluit.

Hanc tuebatur Deus omnipotens, & Adverſariorum Malitiam cohibuit, vel irritam fecit.

Quantumvis licet Chriſtianiſmus fuit Judæis Scandalum, Græcis & Romanis Stultitia, & utrobique perodioſus, cœleſti Ope *fortiter creſcebat Verbum Dei, & confirmabatur.* Quicquid malevoli contrà fecerint, fruſtrari ſe ſenſerunt.

Nec ſcommata Juliani, & Luciani, Declamationes Symmachi, & Libanij, Diſceptationes Celſi, Porphyrij, & Hieroclis, nec decem Imperatorum Perſecutiones poterant prohibere quin Radices ageret Evangelium, atq; etiam propagaretur.

Diebus Apoſtolicis Gnoſtici, Cerinthus, Nicolaitæ, Simon Magus, qui magnificè jactabat ſe eſſe Deum Patrem Samaritanis, Filium Judæis, Spiritum Sanctum Gentilibus; hi & alij Hæreſium ac Schiſmatum Autores Eccleſiam conturbarunt, ſed Malevolentiam coercuit Perſonarum Temporumq; Moderator.

Paulò

Paulò post Desolationem Hierosolymæ prænunciavit Avis de Rupe Tarpeiâ, ut ait Suetonius, & ad Tempora Trajani atque Adriani assentatoriè applicat, quasi decantaret sub istis Imperatoribus felix faustumq; certò esse futurum *Ethnicis*.

Sed libet potius accommodare ad *Christianos*, qui *multifariè multisque Modis* liberabantur quando pro Re natâ commodum fuit. *Tribulationes passi sunt, sed non angustiati; aporiabantur, sed non destituti; Persecutionem passi sunt, sed non derelicti; dejecti sunt, sed non perierunt.*

Permisit Dominus quosdam Martyrij Coronâ donari; erga alios, Hostium Impetus variè coercuit per naturalem Conscientiam, Metum, Pudorem, turbatos Animi Motus, vel Fulminis Ictum, quo exanimatus Imperator Aurelianus à crudelissimo Proposito deterrebatur.

Sed nondum coangustata est benigna Dei Providentia. Quinetiam inimicorum *Malitiam* aliquando convertit in Mansuetudinem.

Labanus Idolis, Ovibus, & Liberis privatus, Armis & Minis septem Diebus Spoliatorem insequebatur, sed *vidit in Somnis dicentem sibi Dominum; Ne quicquam asperè loquaris contrà Jacob.* Hinc Præceps Ardor subsidit, & Sopitis Inimicitiæ

Cauſis Fœdus inter ſe fecerunt Benevolentiâ Sempiternâ colendum.

Eſau Primogeniti Jure & Patris Benedictione frudulenter orbatus, diu inveterato Odio Jacobum conſectabatur: ſed dirigente Deo Concordia Fratrum, cum obviam procederent, confirmata eſt, & ſummâ Neceſſitudine conjuncti ſunt, non iterum paſſurâ Divortium.

Quando Eſther, Mordecai, & alij Judæi Divinam Miſericordiam Jejunio & Precibus implorarunt, Ahaſuerus, qui Mente totâ, & omni Impetu in Excidium eorum incubuerat, ſingulari Providentiâ incitatus ſtatim mutavit Conſilium, priora reſcidit Edicta, & novis ſanxit ut Inimici Pœnas mortiferas *ſubirent*, quas parati erant *infligere*.

Eadem Animi Manſuetudo in Nebuchadnezzare conſecuta eſt inflammatum atque ignitum illius Furorem contrà *Sidrac*, *Miſac*, & *Abednago*, quos in Fornacem ardentiſſimam conjecerat. Veſanus ille Tyrannus nuperrimè exoſos ad ampliſſimum Dignitatis Gradum evexit, bene perſuaſus eo magis *benignum* ſe præbere *veram* Religionem colentibus, quibus anteà *falſam* recuſantibus *crudeliſſimum* ſe oſtendiſſet.

Darius Medus, Adulatorum Laqueis irretitus, Sententiam tulit contrà Danielem, & projecit in Antrum Leonum. Quamvis Decretum Sigillo

Regio

Regio obſignatum, ſecundum Leges Medorum & Perſarum, non poterat reſcindi; tamen dilectus Propheta Digito Dei mirificè conſervabatur, Regis Benevolentia plurimum aucta eſt, & vehementium Accuſatorum Malitia atrociter punita.

Quando Alexander Magnus Tyrum obſedit, & frumentaria Subſidia *nequicquam* deſideravit ex Galilæâ, Samariâ, & Judæâ, ut primùm vacavit furioſus Victor, ad ſe ulciſcendum, cum toto Exercitu progreſſus eſt contrà Hieroſolymam. Jaddus, Pontifex Maximus, poſt ferventiſſimas Preces perterritæ Civitatis, nocturnâ Viſione motus obviam ivit baſilicè veſtitus, & comitatus Sacerdotibus peculiariter ornatis, ac Populo univerſo. Statim conciliatus Ultor proſtravit ſe ad Pedes Pontificis maximi, & rogatus à Parmenione cur id faceret, reſpondit ſe venerari *Deum*, non *Virum* qui coràm erat, quem eodem Veſtimento indutum in Somnis viderat Macedoniæ excitantem cum Spe certâ Victoriæ, ad Invaſionem Aſiæ, de quâ tunc Temporis anxius cogitavit.

En Mundi Dominus quaſi Captivus ducitur in ſacram Civitatem cum Acclamationibus Incolarum, & hi Tributis ac diverſis Oneribus preſſi ſublevantur, ut annunciaretur in totâ Terrâ *Hominis* furioſiſſimi Iracundiam eſſe ad reſiſtendum imbecillam, & *Dei* Tutelam nunquam non valentiſſimam.

Benevolentia erga Legis Moſaicæ Sectatores certè non defuit Cultoribus Domini noſtri Jeſu Chriſti, in quorum Gratiam ex Inimicitiis immutati ſunt multorum Animi.

Saulus, Chriſtianis infeſtiſſimus, effrænatâ Violentiâ oppreſſit, & omni Crudelitate laceravit quoſcunq; Malitia nimiùm ſedula poterat deprehendere. Verùm, quando jam appropinquavit ad Damaſcum Inquiſitor ſeveriſſimus, immania effecturus mandata quæ receperat à Pontifice Maximo, derepentè Humi proſtratus eſt ſplendidiſſimâ de Cœlo Luce, & altâ Voce, utrâque mirabili, adeo ut non ultrà *malevolus* Veritatem *converſus* amplexaretur. Cæcus deducitur in Urbem. Poſt Triduum Viſu, & Baptiſmo, & Spiritu Sancto donatur. Exinde, qui acerrimè Evangelium *oppugnaſſet* (quantum mutatus ab illo!) Paulus ſtrenuiſſimè *propagavit* ad ſempiternam Memoriam, ac tandem alacer exultavit in Martyrio.

Non tantum privatos & ingenuos coercuit Deus, ſed etiam potentiſſimos & *obſtinatos* in Iracundiâ. Romani Imperatores Trajanus, Adrianus, Antoninus, Maximinus, & Galienus iſtam Crudelitatem erga Chriſtianos inhibuerunt, quam prius ferociter exercuerant.

Quan-

Quantumvis permiſit Diocletianum, derelictum ab omni Humanitate, graviter affligere Eccleſiam ac diſperdere, tamen illa emerſit atque confirmata eſt ſub Succeſſore Conſtantio Chloro, & paulatim à Conſtantino Magno ſtabilita.

Promiſſum Salutis factum ex *Miſericordiâ* veris Cultoribus, aliquando ſervatum eſt ex *Juſtitiâ* contra Inimicos, qui in ipſo Actu benè cedentium Rerum, in ipſo procurrentis Fortunæ Impetu, cum ferociſſima Conſilia tantùm non plenè effecta eſſent, *flante Deo perierunt, & Spiritu Iræ ejus conſumpti ſunt.*

Adverſùs Moſem & Aaronem ſurrexerunt Corah, Dathan, & Abiram, quos dehiſcens Terra, quaſi Charybdis vorax, citò abſorpſit, & *omnia quæ ad illos pertinebant; & deſcenderunt vivi in Infernum. Et Ignis egreſſus à Domino interfecit ducentos quinquaginta Viros qui offerebant Incenſum. Cumque oriretur Seditio, & Tumultus increſceret, fuerunt qui percuſſi ſunt quatuordecim millia Hominum & Septingenti,* omnes ultrici Omnipotentis Manu peſtiferam Mortem obeuntes, quippè quòd à Principe & Pontifice deſciverant.

Servandi Davidis Gratiâ Conſilium Achitophelis infatuatum eſt, & ipſe Leto periit miſerrimo turpiſſimoque.

Haman

Haman inflammatus Scelere & Furore in Judæos, cùm *omnem Nationem perdere* conſtituerat, *ſuſpenſus eſt in Patibulo habenti Altitudinis quinquaginta Cubitos, quod paravit* faſtidioſo qui noluit *flectere Genu, nec ſe adorare.*

In Prælio apud Ramoth Gilead fortè Fortunâ Miles tetendit Arcum, & ordinante Deo Sagitta confixit Ahab infenſiſſimum Iſraelitarum Oppreſſorem.

Antiochum Epiphanem graveolens Morbus oppreſſit furiosè appropinquantem Hieroſolymæ, & tentantem funditùs delere.

Contrà Religionem Chriſtianam multùm deſævit Julianus Apoſtata. Quamvis à Conſtantio liberaliter educatus & initiatus in Nicomediâ ut vitaret Paganiſmum, tamen Libanio Sophiſtæ, & Maximo Magico ſe furtim adjunxit, atque pravis Opinionibus corruptus eſt. Et quando plura conatus eſſet, nec poterat cogitata perficere ad evertendam Eccleſiam, deliberatum ſibi eſt, finito Bello Perſico, Nomen Chriſtianum extinguere; ſed fugitivus per Simulationem Amicitiæ in Anguſtias illum prodidit, ubi incommodè pugnans ab ignotâ Manu capitale accepit Vulnus, & ſceleratam efflavit Animam, ſimul agnoſcens Chriſti *Potentiam*, utcunque negaſſet *Deitatem.*

Ille

Ille & multi alij, Cometarum Ritu, non vixerunt ad complendas Calamitates quas prænunciaverant.

IV. Non Hominum Viribus, aut Sapientiâ, aut Favore, ſed ſolius Dei Præſidio nitamur, ad Salutem in Rebus adverſis conſequendam.

Nemini poteſt eſſe dubium quin varia commutabiliſq; ſit hujus Vitæ Ratio, atque ſolùm pendeat ex Voluntate Divinâ. Et tamen in cæco Caſu & Volubilitate Fortunæ concurritur undique, ſummâ cum Expectatione, non ad Deum, ſed ad Opem terrenam, hoc eſt (ut inquit Iſaiah) ad *Baculum arundineum, cui ſi innixus fuerit Homo, intrabit in Planum ejus, & perforabit eam.* Sic eſt mortale quidpiam *omnibus qui confidunt in eo.*

Quanquam Spes noſtræ omnes in Deo ſitæ ſunt, tamen nonnulli in cunctis Difficultatibus totos ſe alio transferunt, publicæ Saluti ſua Commoda præferentes, quâ ſunt egregia Moderatione, vertunt ad Patronos ſimiles Fluvio, qui leves & inflata attollit, ſolida mergit.

Pudet dicere, divertunt ineptè ad [illegible] Populo placeant, turpiter ad alios ut [illegible] & Divitiis augeantur.

Horreſco referens, non timent Danaos *Dona* ferentes. Sed timeant ſibi de futuro Rerum Statu parùm ſolicitis. Æterni Supplicij Metu liberi, æternæ Mercedis Spe vacui degeneres Filij Matrem *conculcant*, quam grandi Sponſione vincti ſunt plurimùm *revereri*.

De *Republicâ* etiam perniciosè merentur, qui poſthabito Cœli Subſidio, depreſſi ad Terram rarò ſuperâ petunt, humanam venerantur Amplitudinem, & non animadvertunt quod Dies, Hora, Momentum evertendis Dominationibus ſufficit. Quouſq; tandem politici abutentur Patientiâ Divinâ? Quam diu *Fumus*, *Umbra*, *Vapor* effrænatâ ſeſe jactabit Audaciâ, & Affluem ſibi *Pulverem* colet?

Immo *Optimates* Terræ ſunt *quaſi Pulvis quem Spiritu Oris ſui diſſipat* altiſſimus Gubernator. Quomodocunq; furentes & inflammati, Ventorum inſtar, huc & illuc effluunt vehementi Stridore, & protinus evaneſcunt ad illius Arbitrium, in tutam atq; integram ſuorum Conſervationem.

In univerſo hoc Mundo recte cogitantibus, & Animo revolventibus nihil eſt compertum Rationi tam conſentaneum, quam quod Omnipotens regit omnia & moderatur.

Neglectis *Hominum* Auxiliis Præſidio *illius* nixa Fides noſtra non poteſt labaſcere. Collocemus [illegible] *Spem certam* in Deo Optimo, Maximo,

cujus

cujus Poteſtas eſt infinita, & par benefaciendi Voluntas. Mittamus *anxiam* Solicitudinem de Rebus publicis, & etiam de privatis, in quas Cogitatione Curâque multi diligentiſſimè incumbunt.

Sperantem in Domino Miſericordia circundabit, ad quam non allicit nuda calamitoſorum Tolerantia, ſed ſtabile Propoſitum ſe conferendi in Fidem ejus & Clientelam.

Optimum nobis Documentum Abrahamus, Pater Fidelium, *contra Spem in Spem credidit.*

Qui ullis deſperant Rebus, definant ſibi ac Fortunis diffidere, ne Malefacta noſcant ſua Exemplo Davidis, cujus *Diffidentia*, quamvis reſipuiſſet, atrociùs punita eſt quam Adulterium & Homicidium.

Non Æſtimator Meriti, ſed Veniæ Largitor benignè excitat nos ad nitendum in Providentiâ, modò Virtutibus ſimus ornati, & maximæ ſit nobis Curæ de augendâ Probitate ſupernè conceſsâ, quæ à Deo Ortum habet atque Incrementum.

Quicquid rectum eſt in miſeris Peccatoribus, quicquid religioſum, ab illo hauſimus, cui accepta referimus Gratiæ Media, & Spem Salutis. Quodcunq; in nobis non illi diſplicet, ipſe operatus eſt. Virtutes noſtras, ſi quæ ſint, intuetur, ut Species viſibiles qui Speculum introſpiciunt,

non ingenitas, ſed à ſeipſo emiſſas & emanantes.

Ejus Bonitate ſubnixi diligenter contendamus, quam maximè poſſumus, ut gratuita Dei Munera quotidiè plus accreſcant, ut Fides noſtra non ſit *mortua vel otioſa ſine Operibus, ſed ex Operibus juſtificata & conſummata.*

Bona Opera ad Cœlum aſcendunt, prout Angelus de Rupe Manoæ, tanquam *Incenſum ſuave fragrans*, & attrahunt Beneficia deorſum diffluentia, atque palàm vociferantur ut Throni cœleſtis Miſericordiam commoveant. Habent & Opera ſuam Linguam, habent ſuam Facundiam tacente Linguâ.

Iſtorum Præſtantia Deum efficit maximè placatum. Adhibeamus igitur multum Studij ad Integritatem ac Sanctimoniam, quæ viciſſim etiam perditiſſimis *Hominibus* pergratum reddere Clerum *nonnunquam* poſſunt.

Si quando Atheiſmi Contagium ſiſti poſſit; ſi quando liceat Papiſtarum Fraudes, Fanaticorum Deliria, & ſeditioſa Schiſmaticorum Conventicula amoliri, profectò firmâ Spe expectamus, ut Scelere ſolutis Metu liberari datum ſit per *conſtantes* Eccleſiæ Patres Fratreſque, & per Fidem eorum, Virtutem, Sapientiamq; recreari.

Hiſce Adjumentis incitati ad Præmium Victoriæ in Jeſu Chriſto religioſè contendamus.

Si

Si Flagitiis non ſimus contaminati, abjecta humanæ Naturæ Conditio quaſi in cœleſtem transformabitur. Si ſimus exuti Vitiis, ad quoddam Divinæ Puritatis Conſortium aſſurgemus; Sanctitatis in hac Vitâ, ac Gloriæ in poſterâ fiemus participes. Quod faxit Deus per Merita Domini noſtri Jeſu Chriſti, cui cum Patre & Spiritu Sancto ſit Honor & Gloria in Secula Seculorum.

FINIS.

BRITISH MUSEUM 30DE73